

ante egerant, satisfactum est, nunc tam voluit ea quae remota essent in negotio dicere, quam illa noluit, de quibus alii perorasse iam videbantur, iterare.

§ 6. Reliquis honoribus non tam uti voluit quam dignus videri.

Διήγησις. Ad commendationem personae proficiens narratiuncula subtiliter acquirit personae, quod deesse videbatur. Nam P. Sesti pater ad tribunatum usque processerat; ne videretur indignus ceteris honoribus fuisse, *non tam uti voluit, inquit, quam dignus videri*, ut ¹⁰ *summae continentiae virtutisque quod meruit.*

§ 7. L. Scipionis filiam.

L. iste Scipio, de quo loquitur, fuit in consulatu C. Norbano collega. Uterque autem pro partibus C. Marii et Cn. Carbonis contra Syllam fecerant. Verum ¹⁵ post bellum civile per colloquium fraudulentum desertus est ab exercitu suo L. Scipio, cum milites ad Syllam deficerent, idemque postea in exilio Massiliensi aut apud Stoechadas insulas supremum vitae diem functus est.

§ 8. Quam multa P. Sestius, cum esset cum collega ²⁰ meo, senserit, ad me detulerit.

Subamare loquitur de collega suo Antonio; et sane visus est non caruisse suspicione coniurationis. Ergo inter merita P. Sestii et hoc ponit, quod, cum quaestor eius esset, multa sibi de eius cogitationibus nuntiaverit. ²⁵

§ 10. Ut iam puerilis tua vox possit aliquid significare.

Opportunissima haec apostrofe ad P. Sesti filium, quo magis causam faceret gratiosam accedente etiam com-